



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

309. An vocandi sint Electores inhabiles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

terminat, v.g. ad diem unam seu iter, quo nuntius pedester uno die commodè accedere potest) qui intra tempus electioni statutum adesse possunt, siue locus, è quo vocantur, sit intra provinciam, siue extra; siue ex necessitate, siue ex voluntate absint. Abb. in c. cum inter. h. r. num. 4. Tamb. de iure Abb. d. 5. q. 3. pass. num. 38. & seq.

Questio 307. Num vocandus sit, qui renunciarit voci suae activae?

Respondeo: si ante electionem eum poeniteat huius renunciationis, & vocem reassumat (uti facere potest, etiam postquam hanc renunciationem Superior jam acceptavit; cum licet quis renunciare possit iuribus sibi datis in propriam utilitatem, v.g. voci passivae, non tamen iuribus ad utilitatem publicam concessis, ad quae exequenda obligatur, quale est jus vocis activae, adeoque locus est poenitentiae utilis ecclesiae de male facta hac renunciatione. Gl. in c. Ecclesia vestra. h. r. & ibi Abb. Pass. num. 78. & 83. & apud illum Hofst. Sylv. Ang. & alii contra Sigism. à Bon. dub. 14. num. 7. Lavor. de elect. c. 15. num. 88.) vocandus est ad electionem, ubi reassumptionem vocis siue Superiori, vel Capitulo sufficienter notificavit, & admittendus (in statu tamen & terminis, in quibus eam invenit, dum ad Capitulum redit eligendi gratia, ita ut, quae jam forte sine illo gesta sunt, valida sint, & non reiteranda) etsi non vocetur, vel non admittatur rediens, etiam non facta prius ista notificatione, potest agere de contemptu. AA. iidem cit. & Pass. num. 85.

Questio 308. Num Canonicus iam ingressus novitiatum alicuius Ordinis, tempore novitatus retinens suum Canonicatum, adeoque jus eligendi v. g. Praelatum Ecclesiae, cuius est Canonicus, vocari debeat ad electionem, ubi non nimis remotus est à loco electionis, sicut ceteri Canonici?

Respondent affirmativè Bertachin. de gabellis. p. 7. num. 56. Mandol. in casibus annalibus. n. 66. casu 197. Archid. ad cap. beneficium. de regular. in 6. citati à Castrop. tr. 13. de benef. d. 6. p. 3. §. 8. num. 6. eod quod, ut ait Gloss. in cit. c. beneficium. deterioris conditionis esse non debet, qui ad bonum aspirat, & religiosam vitam probat, ac praecipuè, cum in quietudini, & distractioni, quae ex talibus electionibus (maximè si frequentes sint) occurrere possit, designando procuratorem. Verùm distinguit ipse Castrop. hanc ratione: dum novitio iure speciali & singulari comperit electio, vel etiam tanquam patrono nominatio, vocandus est, & requirendus ejus consensus; quia jus hoc eligendi & nominandi retinet, neque illud in monasterium transit, potest etiam jus illud absque dispendio religionis executioni dare; non enim tenetur propter hanc executionem monasterio exire, citat pro hoc Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 16. num. 16. Sanch. in decalog. l. 6. c. 4. num. 12. Azor. p. 1. l. 12. c. 3. q. 1. Si autem ei iure Collegii competit electio vel nominatio, probabilis est, illum non esse necessariò vocandum; quia fictione juris ob assumptum statum reputatur longissimè absens, Argumento c. quamvis. de procurat. in 6. ubi ingressus Religionis, & longa peregrinatio aequiparantur, & gl. v. ingredi. ait, etiam non profitendo, sed solum probationis causà, pa-

teretur etiam Religio inde detrimentum; cum non possit satis explorare mores novitii ob frequentem ejus ex monasterio egressum, & ipsi detraheretur, nimium: adeoque regulariter non potest commodè interesse ejusmodi electionibus, & sic creditur impeditus; qui autem impeditus est, & creditur, necessariò vocandus non est, citat pro hoc Azor. Suar. Sanch. ubi ante. Unde jam etiam citatis iisdem, ex eo, quòd necessariò vocandus non sit, non poterit eligere per procuratorem, neque Collegium tenetur procuratorem talem admittre: Si tamen novitius ad eligendum accesserit, siue vocatus, siue non vocatus, est admittendus. Castrop. ibid. citatis iisdem Sanch. Azor. Suar.

Questio 309. Num vocandi sint Electores inhabiles?

Respondeo primò, inhabiles substantialiter, hoc est, carentes qualitate à jure requisita ad eligendum non esse vocandos, constat; quia non habent jus vocis, adeoque nec sunt Electores.

2. Respondeo secundò, inhabiles poenaliter, qui per sententiam judicis sunt inhabilitati, vel declarati inhabiles ad eligendum, non tantùm non sunt vocandi, sed & rejiciendi ab electione.

3. Respondeo tertio, quantumcunque notoriè rei delicti alicujus, cui non est imposita poena privationis vocis latae sententiae, sed solum ferenda, ante hanc latam vocandi sunt, & nihili facienda contra tales facta protestatio; quia jus habent & retinent eligendi.

4. Respondeo quarto, privati voce ipso jure, quia v. g. excommunicati, suspensi, interditi, vel rei criminis, cui imposita poena privationis vocis latae sententiae, licet nondum declarati, si crimen est notoriùm, vel sufficienter probari potest in judicio, etsi vocari possint, quin & ad vitandas lites bene fiat, si & tales citentur, quin & urbanius, si vocati expectentur, Abb. & Hofst. in c. cum inter. h. r. (quamvis ad expectandum vocatos non teneantur electores, cum expectare illos sit gratia distincta à vocatione, quam electores legitimi non concesserunt ex eo, quòd non vocandum de necessitate vocantur, Abb. & Hofst. l. cit. Barb. de jure Eccl. loc. cit. num. 99. Pass. num. 74.) & admittantur ad electionem cum protestatione. Sigism. à Bon. dub. 10. num. 4. Pass. num. 73. necesse tamen non est eos vocare, AA. iidem. Barb. ad c. 2. de postul. num. 4. & l. 1. de jure Eccl. c. 19. num. 89. Miran. tom. 2. q. 23. n. 6. Lavor. c. 17. num. 6. & 8. alique quamplures apud Pass. tales enim etsi adhuc habeant quandam vocis possessionem (quae privantur per positivam rejectionem ab electione, quae proinde facta auctoritate privata, injuriosa est, non verò per non vocationem, eam non vocare juxta Innoc. in cap. cum Vintoniensis. h. r. num. 6. sit solum dicere, & factò exprimere, quòd talis non vocatus non habeat vocem; quia inhabilis est; quòd, quia in judicio probari potest, id dicendo, tali non fit injuria) & jus quoddam, hoc tamen adeò infirmum & debile est, & nullum declarandum, & quidem per sententiam judicis retrahendam ad diem commissi criminis, ut, ubi postea in judicio de crimine confiteri, judicandus sit privatus voce tempore electionis, & tanquam is, qui ad illam jus nullum habuit, & qui propterea non potest agere de contemptu; etsi, si ante hanc sententià agat de contemptu, audiendus quidem

quidem sit, non tamen ad ejus instantiam cassanda electio; quia ei nulla facta injuria. Pass. num. 73.

Questio 310. Virum de jure vocandus vocatus expectandus sit ultra terminum praefixum; suppono enim ut certum expectandum eum esse usque ad terminum praefixum, & ultimam hujus termini partem. Pass. n. 87.

Respondeo: licet æquum, rationabile, meliusque sit ad tollendam omnem litis, & actionis de contemptu occasionem, ut dum vocatus est in propinquo rationabili causâ detentus, v.g. pluvia, electores ceteri de hoc facti certi, illum expectent paulisper ultra terminum praefixum, dum id sine incommodo gravi facere possunt; de rigore tamen juris ad hoc non tenentur; electio enim pertinet ad eos solos, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse ei intra terminum eidem praefixum; qui autem detinetur, v.g. à pluvia, ne intra tempus praefixum adsit; non potest commodè interesse, neque electores ceteri tenentur expectare commodum Electoris absentis, vel etiam praesentis habilitatem. Pass. num. 88, & AA. paulò post citandi. Porro citatus pro certa die, & non ad certam horam, intelligitur citatus pro hora matutina, quâ fieri consuevit electio; citatus enim ad certum diem adesse debet illâ horâ, quâ ille actus solet expediri. Felin. in c. consultur. de off. deleg. num. 5. & dum hora est de consuetudine & natura actûs, expressio diei haberetur pro expressione horæ. Biax. p. 3. c. 11. num. 20. Pass. cit. num. 88. Peyr. tom. 3. c. 9. num. 13. Unde si vocati, v.g. ad primam Martii, non adsint manè intra horam consuetam electionis, electores possunt in parte ultima istius horæ peragere electionem. Biax. Peyr. Pass. ll. cit. Castel. de elect. c. 6. num. 11. Butrio. Anchar. Jo. And. ad cap. cum in nobis. h. t. Meritoque hic hora sumenda est strictè de momento ad momentum, sic statutibus SS. Canonibus in bonum Ecclesiae, ad necessariam in similibus firmitatem, & immutabilitatem, ad vitandas dissolutiones, & dubitationes inde orituras, si moralibus considerationibus, extensionibus, & restrictionibus hoc tempus subjaceret. Pass. num. 89.

Questio 311. Quid quoad electionem facere possint praesentes, aliis praefixo tempore non comparentibus, vel abeuntibus à Capitulo?

Respondeo primò: ubi instat finis temporis praefixi Electoribus ad eligendum, ita ut post illud non possit amplius commodè fieri electio, & electione non factâ devolvatur provisio ad Superiorem, Electores congregati, & in electionis negotio perseverantes, etiam si sint minor pars, possunt eligere validè, reliquis non potentibus agere de contemptu. Abb. in c. in nobis. h. t. num. 10. Castel. loc. cit. num. 12. Pass. num. 93. cum communi. Verùmque id est, etiam si unus solus adsit, vel remaneat in Capitulo. Abb. loc. cit. Biax. de direct. elect. p. 3. c. 6. num. 5. Idque etiam de electione summi Pontificis factâ ab uno solum Cardinale tenent apud Pass. num. 94. Barb. de jure Eccl. l. t. c. t. num. 74. Dian. p. 5. resol. 72. & plures alii ab iis citati; conservatur enim jus Collegii, etiam in uno. Gl. Butrio Abb. in c. gratum. de postulat. Lamb. de jure pat. l. 1. p. 1. q. 9. a. 3. num. 39. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. & c. utitur autem talis unus hoc suo & collegii jure, dum eligit, quo eum privare, & cui prajudicare

non possunt ceteri, negligendo illud. Pass. loc. cit. num. 93.

2. Respondeo secundò: ubi non instat ultimus terminus eligendi, & aliquis non venit praefixo die, vel è Capitulo recedit ex justa causa, legitime appellans ab illa diei praefixione, Electores ceteri, etsi in magno numero, non possunt eligere; et si eligant, is, qui appellavit, & praesens non fuit, potest agere de contemptu, & ad ejus instantiam electio est cassanda. Castel. loc. cit. c. 8. num. 11. Lavor. c. 17. num. 25. Pass. num. 95. iustæ enim appellationi est deferendum, & non censetur contumax, qui iustam & evidentem causam appellationis habet; Ubi tamen instat tempus ultimum, appellationi locus non est ad suspendendam electionem; sed ea servatis servandis potest legitime haberi. Castel. & Pass. ll. cit.

3. Respondeo tertio: ubi neque instat ultimum tempus eligendi, nec est interposita legitima appellatio, venientes, etsi in minore numero, quam non venientes absque his eligere possunt validè, & absque eo, quòd hi agere possunt de contemptu, modò omnes vocandi vocati sint ab eo, cui de jure vel consuetudine competit convocare Electores. Abb. in c. in cunctis. h. t. num. 3. Tusc. l. 1. n. concl. 64. Sigism. à Bon. dub. 12. num. 5. Sanch. Tamb. de jure Abb. Castel. Donat. & plures alii, quos citat & sequitur Pass. num. 98. tunc enim hi absentes nihil protestari contra, sed solum non venientes, & inobedientes mandato Praesidentis, censentur contumaces, faciuntque se alienos & extraneos, ad eoque in Electorum numero non computabiles. cap. cum nobis. h. t. ibi Abb. & Gl. Tusc. Pass. Lamb. Sigism. à Bon. ll. cit. Tamb. d. 5. q. 3. num. 11. absurdum autem est, ut contumacia particularium retardet negotia universitatis, Abb. loc. cit. & ex eo Pass. Ampliatùrque hoc ipsum, ita, ut in hoc casu unus solus veniens possit eligere. Abb. Sigism. loc. cit. Peyr. in subd. q. 1. c. 35. Pass. num. 99. & plures alii contra Lezanam & Barb. de jure Eccl. lib. 1. cap. 9. num. 96. à quo factam limitationem vide retutatum & rejectam apud Pass. num. 100. Secus tamen est, si vocandi vocati non fuerunt per habentem jus convocandi Collegium ad eligendum; sed per aliquos de Collegio Electorum, tunc enim tantum procedit electio, si veniant duæ partes (vel etiam, ut verius censet Pass. n. 109. si veniat major pars) electorum vocatorum. Pass. n. 97. qui tamen etiam num. 109. ait, quòd dum major pars legitime citavit ad certam diem, ii, qui veniunt, etsi sint pars minor, possint eligere.

4. Respondeo quartò: aliter loquendum de venientibus quidem ad eligendum, sed recedentibus à Capitulo ante factam electionem; nimirum ubi non instat ultimum tempus eligendi, recedente majore parte venientium, pars minor, quæ remanet, eligere non potest; minore verò parte venientium recedente, pars major remanens potest eligere. Abb. in cap. cum nobis. h. t. num. 10. Pass. num. 101. & seq. Ratio disparitatis hæc est, quòd praesens citans ad electionem pro die sibi bene vitâ obliget sub poena contumaciae ad comparandum eâ die, ita ut non venientes tanquam contumaces habendi sint, ut alieni & extranei, quibus jus eligendi non competit; non tamen obligat, nec obligare potest ad eligendum eâ die, si tunc non expiraret tempus à lege statutum; cum non possit Electoribus restringere tempus illis à jure concessum ad eligendum. c. si diligenti. de foro compet. & c. indultum.